

*sepulturis*, ibi : « Postquam autem decimæ personales desierunt, et decimæ reales ac mixtæ sensim ad monasteria et capitula canonicorum devolutæ fuere, necessitas quodammodo coegerit consuetudines has offerendi stabilire, ipsosque laicos quasi constringere ad ipsas oblationes hactenus consuetas ut parochorum et ecclesiarum parochialium necessitatibus provideretur, creditumque fuit æquum esse proprio pastori tam pro officio exequiarum, quam reliquis caritatis officiis defuncto, vita ejus durante, impensis, debitum honorarium post mortem præstari. » Cf. Adnotationes XXXIX et XLI, volum. IV.

« Pro ipsamet nuptiarum benedictione nihil accipi potest; attamen quod sponte offertur in donum tali occasione licet accipitur in eleemosynam, vel tanquam extraordinarium emolumenatum, pia offendentium consuetudine inductum, in sustentationem parochi benedicentis, cum acceptatio taliter facta nullibi prohibita inveniatur; ac libera et spontanea hujusmodi traditio, a sponsis aliquo tali occasione facta, non sit benedictionis pretium, neque ex pacto sed ex pia tridentinæ voluntate, ut docent Barbosa in cap. *Ad Apostolicam* 42, hoc tit. aliquo in numeri post ipsum. Prindeque, ubi viget consuetudo taliter dandi et accipiendo, licite servari potest, imo laudabilem ac observandam dicit expresse Innocentius III, eodem capite, hujusmodi consuetudinem. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 769.)

« In cap. 43, *Ne Dei Ecclesiam*, hoc tit. tanquam simoniacum prohibetur episcopis quidquam exigere pro benedictione impertienda abbatibus ordinis Cisterciensis, quod idem jam prohibuerat Innocentius III, in favorem abbatum ordinis Præmonstratens et abbatia S. Maglorii Parisiensis, ut hic refert Gonzalez. Qui favor, ex constitutione Benedicti XIII, *Commissi*, 6 maii 1725, extensus est ad abbates cuiuscumque ordinis, prohibentis episcopis sub pena interdicti per annum ab usu pontificalium, tam ante quam post benedictionem, receptionem cuiuscumque munieris, etiam comes-tibilium; ac insuper solemnum pompa quam sumptus, quantumeunque modicos, etiam prandii, secum ferat. Eadem prohibito in ea facta legitur quibuscumque eorum officialibus, assistentibus et ministris. (Giraldus, part. I, sect. 777.)

« In decretali *Jacobus* 44, hoc titulo, reprobatur consuetudo exigendi prandium a canonico noviter recepto, prohibeturque capitulo partem præbendæ illi debitate loco denegati prandii sibi retinere. Et merito quidem, cum haec convivia neque in ecclesiæ aut sacrariorum beneficiis, nec in usus pios cedant, sed privatorum voluntati duntaxat deseruant, contra prohibitionem innovatam a Tridentino sess. XXIV, de reform. cap. 14.

« Verum cum admodum difficile sit receptos usus penitus abolere, ubi presertim ab immemorabili tempore vigeant, non semel congregatio concilii rescripsit tolerari posse immemorabilem

consuetudinem quod novus canonicus suos concanonicos convivio excipiat, duummodo id sponte faciat, moderataque frugalitatis leges observet, ut videre est tom. IV *Thesaur. resolut.* ejusdem congregat. pag. 140, ubi referuntur similes resolutiones in *Burgen* 3 sept. 1728 et in *Leodien*. 18 iulii 1733. » (Giraldus, *ibid.* sect. 778.)

Cf. Adnotationem XV volum. quarti, pag. 653. Ad fictum patrimonium quod spectat, ex constitutione Urbani VIII *Secretis*, 11 decembris 1624, ultramontani seu exteri facientes se promoveri in Italia ad ordines sacros facti, vel fiduciario, aut falso patrimonii titulo, incurvant poenam perpetuae suspensionis, absque spe dispensationis a sede apostolica obtinenda, ut § III, ibi :

« Cum autem non sine gravi animi nostri molestia nobis innotuerit quamplures ultramontanos, suæ salutis immemores, Deique timore postposito, ad ordines predictos cum dimissorialibus litteris, seu etiam cum titulo patrimonii facto, vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo honorum omnium scandalo se promoveri fecisse, nos... venerabilibus fratribus Patrarchis, archiepiscopis et episcopis in Italia existentibus, tenore presentium prohibemus ne, quovis pretextu et ex quacumque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos vel Germanos, aliosque quoscumque ultramontanos, et ex quibusvis locis extra Italiam oriundos, non solum ad sacros sed neque etiam ad minores ordines vel clericalem characterem promovere audeant seu præsumant, nisi dimissorialis suorum ordinariorum litteras a nostris et hujus Sanctæ Sedis nuntiis seu collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas et subscriptas habeant, eorumdemque nuntiorum seu collectorum subscriptiones a dilecto filio nostro in alma Urbe viario in spiritualibus generali similiter examinatione, recognite et approbatæ fuerint; alias promoventes, ad annum ab exercitu pontificium, promoti vero perpetuae suspensionis pennam, absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtainenda, incurvant eo ipso. Insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum predictis, verum etiam majoribus arbitrio nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis, infligendis poenis plectimur. » Cf. Concil. Trident. sess. XXI, de reform. cap. 2.

Cf. Giraldum *Exposit. Jur. pontif.* part. I, sect. 779, ubi discutiuntur varii casus ad materiam simoniæ plus minusve respicientes, scilicet de clero qui, ut ordinari possit, ecclesiæ rectori promisit nunquam in ecclesia sua, ad cuius titulum fuerit ordinatus, se aliquam portionem petiturum, cap. Si quis, hoc titulo; de illo qui facte accommodat ordinando titulum sui beneficii, aut ei vere beneficium resignat cum occulto pacto reversionis beneficii; de illo qui constituit prom-

## ADNOTATIO XIII.

vendo patrimonium cum pacto fiduciario de retrocedendo patrimonio, vel fructibus illius; tandem de constitutione patrimonii facta et simulata.

## ADNOTATIO XI.

Lib. V. *Decretal. Tit. III, § XIII, n. 519;*  
pag. 215.

AN LICEAT ALIUO PRETIO TEMPORALI REDIMERE PACIFICAM BENEFICII POSSESSIONEM?

Docent canonistæ, inter quos Fagnanus ad cap. *Nobis* 27, hoc titulo, n. 104 et 105, non esse simoniacum dare aliquid temporale ad redimendam vexationem super beneficii pacifica possessione, idque probat nedum ex Glossa, sed etiam ex auctoritate S. Thomæ qui, 2, 2, quæst. C, art. II, ad quantum hoc habet: « Antequam alicui acquiratur jus in episcopatu vel quacumque dignitate, vel prebenda, per electionem, vel provisionem seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam: sed postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere. »

« Hæc D. Thomæ sententia, inquit Giraldus, quoad secundam partem, magis roboratur ex facto S. Gregorii Magni, jam in pontificem electi, qui pecuniam solvit Mauritio imperatori ne ab ipso injuste impediture a sui muneric exercitio, de quo ita Baronius ad annum Christi 590, ibi : « Etsi pendenda ab ipso Gregorio fuerit imperatori eadem pecuniae quantitas, quæ a prædecessoribus, Gothorum temporibus, exacta est, haud tamen in crimen adduci potuit, quasi redemptum pecunia pontificatum obtinuerit; etenim electio, ut dictum est, legitime facta illi confulit pontificatum, non imperatoris confirmatio typannice usurpata, qua pecunia licite redimi potuit, cum non redimeretur ex ea pontificatus sed executio muneric, eo modo quo aliter liceret ab illata vexatione se liberare. »

« Hæc inspecto jure communī. Verum si agatur de obtainenda gratia vel justitia apud Sedem Apostolicam, etiam super jure quæsito, sive petitio sit de re spirituali, sive temporali et mixta, ex constitutione Alexandri VII, *Inter gravissimas*, 2 maii 1656, interdictum est redimere vexationem quidquam dando, quantumvis minimum, sub poenis in eadem constitutione contentis. » (Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 768.)

Cf. Adnotationem III, supra.

## ADNOTATIO XII.

Lib. V. *Decretal. Tit. III, § XIV, n. 535;*  
pag. 215.

AN EPISCOPUS POSSIT ABSOLVERE ET DISPENSARE IN MATERIA SIMONIAE?

« Limita, inquit Thesaurus, *de Pœnis*, cap. IX, verbo *Simonia*, quod episcopus non possit quidem

absolvere, neque dispensare cum simoniaco promoto scienter, vel cum ignorantia crassa vel supina, sed bene possit cum simoniaco omnino ignoranter promoto, scilicet quando tertius, eo ignorantе, pecuniam dedit. Quamvis enim etiam hoc casu promotus sit suspensus, secundum communem sententiam canonistarum et summistarum per cap. Si quis a simoniaci 4, quæst. I, tamén episcopus potest cum tali dispensare ex cap. *De simoniace* 22, *De Simonia*. Et ita distinguunt et docent ibi Glossa verbo *Remanere*, et canoniste communiter et plurimi quos allegat Sanchez, *Opus. lib. II, cap. III, dub. 120.*

» Quod tamen limitant communiter doctores, dummodo episcopus ipse non sit complex super illa simoniaca ordinatione, ut apud Sanchez n. 14, licet ipse, n. 15, cum Navarro teneat etiam tunc posse dispensare. Addit Sanchez, dub. 104, n. 46, esse valde probabile promotum simoniace omnino ignoranter, ex ignorantia invincibili, sed non crassa, nec supina, non esse ipso jure suspensum neque irregularem, et hoc tenent multi canoniste quos ipse allegat ibidem. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 764.)

## ADNOTATIO XIII.

Lib. V. *Decretal. Tit. IV, Ne Praelati vices suas vel ecclesiæ sub anno censu concedant, n. 5;*  
pag. 219.

DE LOCATIONE CANCELLARIE EPISCOPALIS ET FUNDORUM ECCLESIASTICORUM.

« Neque vendi, neque locari potest cancellaria episcopalis, sed exerceri debet a propriis episcopi ministris, et quidem juxta taxam Innocentianam quod emolumenta percipienda, cuius exemplar asservandum est in unaquaque cancellaria, quin illa pars dictorum emolumentorum cedat episcopo; ne eadem redundant in clericorum, aliarumque personarum gravamen et judiciorum subdivisionem. Ita etiam plures declaravit S. C. Episcop. et regular. ut refert Lucius Ferraris *Prompta biblioth.* verbo *Cancellaria* n. 7 et 8. Idipsum ex ejusdem Congreg. sententia refert Fagnanus ad cap. 2. *Quoniam*, n. 23, probatum fuisse a Clemente VIII, 26 aug. 1592, pro toto regno Neapolitano. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 784.)

Cf. Adnotationem XXV, volum. quinti, pag. 690. Locationem fundorum ecclesiasticorum Paulus II restrinxit ad solum triennium, ut in ejus decretali *Ambitiosæ, De rebus Eccl. non alienandis.*

« Nec in praxi admitti videtur, inquit Giraldus, loco cit. sect. 785, quoruundam opinio dictantium hanc Pauli constitutionem prohibere quidem locationem rerum et fundorum ecclesiæ ultra triennium, non tamen fructuum et reddituum ex ipsis provenientium. Locatio enim fructuum fieri ne-

qui sine locatione fundorum, et, si forte fiat, non erit locatio sed venditio quæ utique beneficiis non prohibetur, nisi dictos fructus vendant ad vitam, aut ad longum tempus cum pacto anticipata solutionis; quam venditionem eis expresse prohibuit Benedictus XIV, const. *Universalis Ecclesiae*, 29 augusti 1741. »

Cf. Adnotationem XIX voluminis quarti.

## ADNOTATIO XIV.

*Lib. V. Decretal. Tit. V. De Magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi, n. 28; p. 223.*

## DE COLLATIONE GRADUUM ACADEMICORUM VIRTUTE INDULTI.

Anno 1835, mense januario, RR. DD. Dupanloup, episcopus Aurelianensis, a Sanctissimo D. N. Pio PP. IX impetravit breve sequens :

« Pius PP. IX. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam, ut legimus in sacris litteris, sacerdotis labia custodire debent scientiam, ac nihil boni expectare licet in Dei gloriam ab Ecclesiæ ministris qui necessaria doctrina destituntur, idecirco illustria secuti exempla decessorum nostrorum, nihil prætermittimus quod sacris præsertim studiis excitandis provehendisse pertinere intelligamus.

» Jam vero expositum nobis est tuo nomine alumnos seminarii tui in theologicas disciplinas laudabili animi ardore incumbere per annos quatuor, sed vero ardorem illum magis fore excitantum, cum eximio illorum profectu, si, propositis honoris gradibus, novus ipsorum animis quasi formes adjiciantur. Quod cum obtineri iste nequeat ob defectum Universitatum canonice institutorum, supplex a nobis petis ut facultatem tibi impertiam academicos duos primos gradus in theologica facultate concedendi, iis clericis qui, prævio examine, hac honoris accessione se dignos probaverint.

» Nos porro præclarum fraternitatis tuae consilium commendantes, quod maxime accommodatum novimus clericorum animis ad sacra studia inflammans, atque adeo pro certo habentes ex pastorali tua sollicitudine ac vigilante proba nobis cognita et explorata, in scholis seminarii tui sacre theologiae studiosis eam tradi doctrinam quæ sit a purissimis fontibus derivata, facile ad ducti sumus ut hujusmodi tuis votis precibusque æquo animo obsecundemus.

» Itaque omnes et singulos, quibus haec litteræ favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et penis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurserint, hujus tantum rei gratia, absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate nostra apostolica tibi, venerabilis frater, eam facultatem concedimus, ad hunc proximum octennium duratu-

ram, cuius ope academicos duos gradus, baccalaureatum scilicet et licentiatum, clericis ejusdem Aurelianensis diœcesis deferre possit et valeas qui, instituto examine, ejusmodi honoris gradibus digni reperiantur. Qui vero ex eisdem clericis, post assecutos memoratos gradus, doctorali lauream cuant insigniri, eos in almam Urbem nostram accedere volumus ut, ibi facto doctrinæ periculo, in theologis disciplinis doctores renuntientur. Denique, qui prædictos duos gradus per te ex nostra concesione receperint eodem frui volumus omnibus et singulis privilegiis ac facultatibus quibus uti ac frui possent, si ad memoratos honoris gradus in qualibet legitima Universitate fuissent jure promoti.

» Id concedimus et indulgemus, non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordinationibus, aliquisque, individua licet ac speciali mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

» Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub anno Piscatoris, die xxvi januarii MDCCCLV, pontificatus nostri anno nono. V. Card. MACCHI. »

Octennio predicto elapsi, novum præmemoratus antistes obtinuit breve ad aliud octennium valitrum, et cum extensione ad suum successorem in Ecclesiam episcopalem Aurelianensem canonice ingressurum. Insuper facultatem a Summo Pontifice postulavit etiam clericos suos doctoralis laurea insigniendi; quam facultatem benignus Pontifex concessit per litteras, diei 24 april. 1861, sub hac tenen conditione unumquemque scilicet iam licentiatum nominatum Sancta Sedi commendandi, ad effectum impetrandi speciale indulsum, virtute cuius clericus ab episcopo commendatus et a Pontifice approbus possit praedita laurea ab eodem episcopo insigniri. Hac facultate nondum usus est RR. DD. episcopus. Qui reperiuntur hodie in diœcesi Aurelianensi doctores lauream doctoralem in alma Urbe post consuetas probationes, ut moris est, adepti sunt.

## ADNOTATIO XV.

*Lib. V. Decretal. Tit. V, n. 28; pag. 223.*

## DE CANONICO THEOLOGALI.

« Probavimus decreum Tridentini concilii (circa theologum in cathedralibus et collegiatis) sive ejus verba considerentur, sive ratio habeatur praxis et consuetudinis sequentium temporum, æque comprehendere Scripturarum sacrarum expositionem ac theologias scholasticas disciplinam, et a canonico theologo non magis suo muneri satisfieri si sacros Scripturæ libros explicit et declarat quam si in theologias scholasticas clerum erudit; dummodo haec talis sit qualem Melchior Canus tradendam, addiscendamque suadet in suo libro VIII, *De locis theologicis*, cap. 1, et quidem nos etiam indicavimus in nostra *Institutione XLII*, quæ scilicet circa quæstiones gravis momenti et utilitatis versetur,

## ADNOTATIO XVII.

easque pertractet, allatis divinae Scriptura testimoniis, conciliorum decretis, et Patrum auctoritatibus. Ulterius adnotavimus nonnullorum episcoporum mandato laudabiliter factum esse ut per canonicum theologum ea traduceret theologia quæ est de conscientiis et moribus dirigendis.

« Id unum vero mihi decimus fuisse num, juxta concilii mentem, canonicus theologus suum munus satis adimpleat si explicando juri canonico operam prestat. Sane professores juris canonici aliquando præbendam theologalem se posse consequi contendunt, etiamsi laurea doctoralis in sacra theologia insigniti non fuissent, satis esse censes se lauream reportasse in jure canonico. Et quidem inficiari non possumus arcto inter se vinculo copulari theologiam moralem et canonici juris scientiam, nihilominus cum hodie haec facultates, tanquam ab invioem distinctæ, diversa ratione tractentur, et magisteria seorsim conferantur, statueritque concilium ut is theologus canonicus eligatur qui in sacra theologia sit doctor, merito a S. Congregatione responsum fuit ad consequendam præbendam theologalem, generaliter loquendo, satis non esse ut quis in jure canonico doctoris gradum adeptus fuerit: in casibus tamen particularibus videri posse an expediat eamdem præbendum alicui sacerorum canonum magistro conferre, qui scilicet cum juris canonici lectioni ea quoque conjugere valeat quæ pertinent ad theologiam moralē. » (Benedictus XIV, *De synodo diœc.*, lib. XIII, cap. ix, n. 17.)

Dubium de quo loquitur Benedictus XIV est istud: « An provis de præbenda theologali, cum clausula de assumendo infra annum gradu magisterit in sacra theologia in aliqua approbata Universitate, de jure sufficiat quod magisterium intra annum recipiant in jure canonico in aliqua approbata Universitate? Et, die 5 junii 1723, responsum fuit: Negative, et habebitur ratio in casibus particularibus. » *Thesaur. resolut.*, tom. II, pag. 321.

Cf. D. Vict. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France devant l'Église et devant l'État*, Parisiis, 1864, apud Lecoffre, ubi de canonico theologali passim.

## ADNOTATIO XVI.

*Lib. V. Decretal. Tit. V, n. 28; pag. 223.*

## DE MAGISTRORUM OFFICIIS.

Leo X, in concilio generali Lateranensi quinto, haec sequentia præcepit:

« Omnibus et singulis philosophis in Universitatibus studiorum generalium, et alibi, publice legentibus districte præcipiendo mandamus ut cum philosophorum principiis aut conclusiones, in quibus a recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint seu explanaverint, quale hoc est de animæ mortalitate aut unitate, et mundi æternitate, ac alia hujusmodi, teneantur ejusdem veri-

tatem religionis christianæ omni conatu manifestam facere, et persuadendo pro posse docere, ac omni studio hujusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere atque resolvere. Et hunc canonem per ordinarios, ubi generalia studia vigent, et rectores Universitatis eorumdem studiorum, singulis annis, in principio studii, in virtute sanctæ obedientiæ, publicari mandamus. »

Idem Pontifex, in sua constit. *Supernæ*, 5 maii 1514, § XXXII, sic loquitur:

« Et cum omnis ætas ab adolescentia prona sit ad malum, et a teneris assuefieri ad bonum magis sit operis et effectus, statuimus et ordinamus ut magistri scholarum et præceptores pueros suos sive adolescentes, nedum in grammatica et rhetorica ac ceteris hujusmodi erudire et instruere debeant, verum etiam docere teneantur ea quæ ad religionem pertinent ut sunt præcepta divina, articuli fidei, sacri hymni et psalmi ac sanctorum vitæ; diebusque festis nihil aliud eos docere possint quam in rebus ad religionem et bonos mores pertinentibus, eosque in illis instruere,hortari et cogere, in quantum possunt, teneantur, ut, nedum ad missas, sed etiam ad vesperas, divinaque officia audiendi ad ecclesias accedant, et similiter ad predicationes et sermones audiendos impellant, nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere possint. »

## ADNOTATIO XVII.

*Lib. V. Decretal. Tit. VI, De Judæis et Saracenis eorumque servis, n. 58; pag. 234.*

QUIBUS CASIBUS LICEAT BAPTIZARE INFANTES ET IMPUBERES FILIOS JUDÆORUM ET INFIDELIUM, INVITIS PARENTIBUS?

Benedictus XIV, in epistola *Postremo mense*, die 28 februarii 1748, ad archiepiscopum Tarsensem, vices gerentem Urbis, directa, exponit casus in quibus filii infantes et impuberis judæorum et infidelium, invitisi parentibus, baptizari possunt.

I. Si sint in extremo mortis articulo.  
II. Si sint a parentibus projecti atque derelicti, cum tunc statim subducti dicantur a patria potestate. Tales autem intelliguntur, non qui sine patre et sine matre, vel nullo comite, aut per Urbem aut extra Hebraeorum vicum temere vagantur, sed qui in loco publico soli, abjecti, atque omni cura et spe destituti inveniuntur.

III. Si offerantur ad baptismum a patre converso, etiam invita matre; vel a matre, invito patre.

IV. Si offerantur ab avo paterno, pariter converso, etiam utroque genitore invito.

V. Si offerantur ab avia paterna conversa nepotes ex filio defuncto, etiam contradicente matre, ut decrevit in hac eadem facti specie, quod Romæ accidit anno 1731, idem Benedictus XIV, in epis-

## ADNOTATIONES.

tola ad Petrum Hieronymum Guglielmi, sac. inquisitionis assessorem, *Probe te*, 15 decemb. 1751.

VI. Si parentibus orbati offerantur a tutoribus.

VII. Si filii servorum pœnalis offerantur ab eorum dominis, filii scilicet Turcarum bello capti, sicut et nati ab ipsis in captivitate, non autem filii christianorum capti in bello, inter eosdem christianos gesto, cum hi sint servi servitutem tantum civili.

VIII. Si offerantur infantes Hebræorum a parentibus qui semel dixerunt se catholicam fidem amplecti velle, licet postea a proposito recedant.

IX. Si offerantur nedum a parentibus neophyti, sed etiam ab ethniciis et iudeis in infidelitate et judaismo remanentibus, dummodo fide bona ab eis id fiat, et infantes baptizati apud christianos remaneant, § X epistolæ ad Petrum Guglielmi.

X. Si ipsimet iudeorum et infideli filii, statim ac ad usum rationis pervenerint, baptismum ulro postulaverint. Porro rationis usus regulariter ab anno septimo completo inchoatur, ex decreto Congr. concil. 16 juli 1639, ibidem relato § XXXIII. In dubio de perfecto rationis usu baptismus est protrahendus, et interim puer ille pertens non remittendus ad parentes sed procul ab eis retinendus, donec constet de ejusdem perfecto rationis usu. Si tamen post adhibitam diligentiam reperiat vera rationis usu carere, restituendus est parentibus.

XI. Illicite baptizati, id est neque a parentibus, neque ab aliis ius in eos habentibus, ad baptismum oblati, non sunt restituendi parentibus, etiamsi hi, cautione aut fidejussione data, ingenuo spondeant se eos, vix dum ad convenientem æatem pervenerint Christi fidelibus restituturos. Contra autem sic baptizatos, si, postquam adoleverint, parentum ritibus adhæserint, et fuerint de hoc confessi aut convicti, procedendum est tanquam contra hereticos.

Cf. Giraldum, *Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 798*, et Adnotationem XIII voluminis quinti pag. 683.

## ADNOTATIO XVIII.

*Lib. V. Decretal. Tit. VII, De Hæreticis, § I, n. 21, pag. 241.*

## HÆRETICI RECENTIORES.

Hæreticorum seriem, qui a primævis temporibus fere usque ad ætatem suam prodierunt, contexuit auctor noster; hic addere juvat illos qui, post lutheranos et calvinistas, Deo loquenti fidem, necnon Ecclesiæ docenti obedientiam detrectare ausi sunt, inter quos præcipue annunerantur:

I. Baianistæ; sic a Michaeli Baio, doctore Lovaniensi, nuncupati. Errores Baii damnati fuerunt a sancto Pio V, bullæ *Ex omnibus afflictionibus*, 1 oct. 1567; a Gregorio XIII, bullæ *Provisionis*

*nostre*, 29 januar. 1579, et ab Urbano VIII, bullæ *In eminenti*, 6 mart. 1641.

II. Janseniani; sic a Cornelio Jansenio, episcopo Ypresi, denominati, auctore famosi libri cui titulus: *Augustinus*. Propositiones quinque, ex prefato libro excerptæ, damnatae sunt ab Innocentio X, constit. *Cum occasione*, 31 maii 1653, necnon ab Alexandro VII, const. *Ad Sanctam B. Petri Sedem*, 16 oct. 1655, et constit. *Regiminis Apostolici*, 15 febr. 1664, in qua formularium edidit; tandem a Clemente XI, const. *Vineam Domini Sabaoth*, 16 jul. 1705.

III. Quietistæ. Propositiones octo super sexagesima Michaelis de Molinos damnatae sunt ab Innocentio XI, constitutione *Cœlestis Pastor*, 20 nov. 1687. Quibus adjiciuntur propositiones Cameræcenses tres et viginti super amore erga Deum purissimo, reprobatae ab Innocentio XII brevi *Cum alias*, 12 mart. 1699; licet nulla ex illis hereticos insimulata fuerit.

IV. Quesnellistæ. Propositiones centum et una Paschasi Quesnelli damnatae fuerunt a Clemente XI, constitutione *Unigenitus*, 8 sept. 1713, confirmata per bullam ejusdem 5 kal. sept. 1718, *Pastoralis officii*, contra appellantes; ab Innocentio XIII decreto diei 8 jan. 1722, a Benedicto XIII et synodo Romana anni 1723, a Benedicto XIV per Encyclicam *Ex omnibus christiani orbis regionibus*, 16 oct. 1756. Quibus addenda sunt propositiones synodi Pistoriensis, damnatae a Pio VI, per bullam *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794.

V. Rationalistæ, naturalistæ, indifferentistæ et liberalistæ. Damnati cum Le Mennais a Gregorio XVI annis 1832 et 1834, cum Hermesio ab eodem Pontifice anno 1833 et a Pio IX anno 1847; item anno 1864 litteris encyclicis *Quanta cura*, et adnexo propositionum reprobatarum syllabo. Cf. *Acta Sanctissimi D. N. Pii PP. IX, ex quibus excerptus est syllabus editus die 8 decembris 1864, Rome*, typis Rev. Cameræ Apostolicæ 1865.

## ADNOTATIO XIX.

*Lib. V. Decretal. Tit. VII, § III, n. 158, pag. 268.*

## DE INDICE LIBRORUM PROHIBITORUM.

Attente legantur litteræ apostolicæ, *Sollicita ac provida*, diei 9 juli 1753, in quibus Benedictus XIV tradidit methodum servandam, in examine ac proscriptione librorum a congregationibus Romanæ et universalis Inquisitionis et Indicis; prescribitque certas regulas a relatoribus et consultoribus in examine, judicioque serendo sequendas. Harum litterarum analysis hic subjungitur.

In proemio exponitur c. ra Romanorum Pontificum in proscribendis noxiis libris, quæ delegata est tom. congregationi universalis Inquisitionis, tam alteri Indicis a sancto Pio V institute.

## ADNOTATIO XXIII.

§ I. Utriusque congregationis circumspectio in proscribendis libris commendatur.

§ III. Inquisitionis congregatio quibus viris constet, quibusve de rebus in ea agatur.

§ IV. Methodus a congregatione Inquisitionis servanda in librorum proscriptione.

§ V. Ulteriores cautæ adhibendæ, si de auctoris catholici libro agatur.

§ VI. De Indicis congregatione, certisque ejus muneribus.

§ VII. Iterata Pontificis consilia de statuendis certis regulis quæ in librorum proscriptione serventur.

§ VIII. Primum examen instituendum a congregationis secretario et duobus consultoribus cum relatore ad id assumpto. Subsequitur congregationis preparatoria examen. Postremum generalis congregationis judicium a secretario Pontifici defertur.

§ IX. Clausula *donec liber corrigatur*, quando proscriptionis decreto apponenda.

§ X. Auctor catholicus libri ad examen delati non necessario, sed recte tamen, auditur, vel operis defensor ex officio deputatur.

§ XI. Casus proponuntur in quibus licet a datis regulis nonnullis recedere.

§ XII. Secretum omnibus in congregatione Indicis sententiam ferentibus imponitur.

§ XV. Prima regula in ferendo judicio servanda: ut rectum illud sit, ac in neutrâ partem declinet.

§ XVI. Secunda regula: ne quis de re sibi plene non perspecta sententiam ferat.

§ XVII. Teria: neque ad proprii Instituti sive scholæ opinionem, sed ad Ecclesiæ dogmata et communem catholicorum doctrinam judicium exigitur.

§ XVIII. Quarta: omnibus perspectis ac simul expensis judicium efformetur.

§ XIX. Quinta: ambigua dicta catholicæ probatique auctoris in bonam partem accipiuntur.

§ XXI. Damnationi adjudicantur libri in quibus reprobata dogmata afferuntur, nec refutantur.

§ XXII. Jurgia et convitia a dissidentibus auctoris adhibita expungantur.

§ XXIII. Nec cuiquam licet suas opiniones veluti Ecclesiæ dogmata venditare, opposita vero eroris insimulare.

§ XXIV. Proposito Angelici doctoris exemplo, qui suorum adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus est, sed omnes officiosæ et perhumaniter dementiri, edicitur ut scriptorum acerbitas, scurrilitas, nimiaque licentia coercentur.

Cf. DD. Baillès, episcopum olim Lucionensem: *Instruction pastorale sur l'index des livres prohibés*, Parisiis, 1852, apud Lecoffre et socios.

Plures episcopi gaudent indulto virtute cuius suis subditis facultatem legendi et tenendi libros drohibitos, servatis servandis, imperfiri possunt. Cf. *Ord. div. officii in diœcesi Senonensi, etc.*, pro anno 1864.

## ADNOTATIO XX.

*Lib. V. Decretal. Tit. VII, § IV, n. 253; pag. 289.*

## DE OBEDIENTIA ECCLESIAE A PRINCIPIBUS DEBITA.

In Syllabo litteris apostolicis *Quanta cura*, die, 8 dec. 1864, adnexo, legitur ista propositio tanquam reprobata, scilicet: « LIV. Reges et principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiæ. » (Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851, inter Acta Pii PP. IX ex quibus excerptus est syllabus, Romæ, 1865, typis rever. cam. apostolicæ.)

Cf. litteras apostolicas Pii PP. IX, anno 1868, quibus institutio gymnasii Constantinopolitani facta, in quo recipiendi et educandi sunt simul cum catholicis alumni acatholici etiam infideles, reprobatur.

## ADNOTATIO XXI.

*Lib. V. Decretal. Tit. VII, § V, n. 290; pag. 298.*

## NEPOS HÆRETICI NON EST INHABILIS AD BENEFICIA ASSEQUENDA.

In *Collectan. ad usum S. C. Episcop. et regul.* Romæ, 1863, legitur decisio sequens:

« Al Vescovo di Squillace. — L'eresia del zio non impedisce Fabio Marrescò, che non sia abile ad ottenere benefici ecclesiastici. Però concorrendo in lui le altre qualità necessarie, e non avendo vostra signoria altro in contrario, potrà ammeritare e approvarlo. Roma, 12 gennaio 1598. »

Hic agitur de avunculo hæretico, et filio nato ex sorore eiusdem.

## ADNOTATIO XXII.

*Lib. V. Decretal. Tit. VII, § VII, n. 570; pag. 511.*

## FACULTATES HODIE CONCESSÆ GALLIARUM EPISCOPIS PRO HÆRETICIS ABSOLVENDIS.

Exempli gratia legantur indulta jam ad longum inserta sub Adnotatione C volum. quinti, pag. 735.

## ADNOTATIO XXIII.

*Lib. V. Decretal. Tit. XI, De infantibus et languidis expositis, n. 27; pag. 544.*

## DE BAPTISMO, ORDINATIONE, VEL MATRIMONIO EXPOSITORUM.

I. Quoad baptismum legatur Adnotatio XLVIII volum. quinti, pag. 712. Insuper dicendum cum